

52.

RECTOR
ILLUSTRIS AD SALAM AU-
GUSTEI
AD EXEQVIAS
FOEMINÆ ORNATISSIMÆ
MAGDALENÆ
DOROTHEÆ,
DN. JOHANNIS BRÜHLII,
in Augusleo Typographi, Uxoris
desideratissimæ,
d. 25. Jul. M DC LXXVII. hor. I.
deducendas
Omnes suos Cives invitati.



Um exeqvias ornatissimæ Fœminæ paramus,
qvam industrio ac probato nostro Typographo,
non à negotiis saltēm domesticis, sed etiam ab
auxiliis typographicis sæpè fuisse cognovimus;
non immerito ultimorum seculorum deprædica-
mus felicitatem, innotuisse DEi beneficio paratis-
simum scribendi compendium, ut scripta divinæ ac humanæ sa-
pientiæ per orbem facilius disseminari, ac leviori pretiō curiosis
lectoribus procurari hactenus potuerint. Nam qvo majorem
hæc ars habet utilitatem, & qvo præsentiora artificum erga eru-
ditos sunt officia; eò certius optaverit, qvi rem literariam cordi
habet, velit omnipotens studiorum Patronus, his docentium &
discentium amanuensibus talem fortunæ largiri constantiam,
qvalem reqvirit in ordinandis typis sedulitas, iisq; colorandis &
exprimendis dexteritas. Nimirum est in sancto hoc opere la-
bor hon exiguus, sive eligendarum & digerendarum formula-
rum patientiam, sive judicandi preli solertiam, sive, qvod in opti-
mo nostro Typographo qvivis deprædicaverit, sumptuosam
puriorum literarum curam velimus spectare. Et verò qvām à
tenuibus initii noster eò fuerit progressus, ut cultiorem typo-
graphiam inter splendida Augustei ornamenta liceat referre,
novimus, qvi scripta nostra ejus manu sæpe jubemus fieri or-
natoria. Accedit ad hoc accurata sculpendi promptitudo, qvæ
literarum qvemlibet defectum, vel ad invidiam usq;ve, hactenus
feliciter compensavit. Cum igitur in hoc bene merendi studio,
præter omnem expectationem, non acerbam modo uxoris vale-
tudinem, sed acerbiorem ipsius morbi molestiis mortem fuerit
expertus; dubium non est, qvin apud singulos Augustei nostri
Cives ea extent condolendi & comprecandi desideria, qvæ vel
ultra, & si absit invitatoria hæc præscriptio, freqventem & splen-
didum

didum funeris processum polliceantur. Nostamen ut dilectissimo Civi, qvod nostrarum est partium, exhibeamus, more consveto, anteqvam intimetur repetita invitatio, qvem vitæ cursum consummaverit beata ejus Uxor, breviter exponeamus.

Edita verò in Iucem est d. XXVII. Jul. M DC LIII. circa ipsum meridiem, Patrem nacta Dn. JOHANNEM KÖNIGIUM, tum Weissenfelsæ viventem, postea apud Colonellum Oettingensem rei Oeconomicæ Breitenhaynii Præfectum, qvi postea Electori Moguntino militans, d. 21. Jan. 1667. Moguntiæ diem obiit supremum. Matrem habuit, qvæ filiam se habuisse nunc serio luget, BARBARAM HORNIAM. Baptismi Sacramento initia testes habuit REGINAM Dn. BALTHASARIS FALCKNERI tum in hac Præfectura Prætoris Uxorem, ANNAM GERTRUDIM Dn. JOHANNIS KRUMPII in eadem Præfectura Advocati & Consulis Conjugem, ut & Dn. M. AUGUSTUM FERBERUM, in agro Weissenfelsensi Keinensis Ecclesiæ Pastorem. Et vero hos Christianæ pietatis fidejussores non fecellit, postqvam ad annos discretionis proiectior ætas assurgeret. Sive enim qvis spectaret exhibitum cœlesti sponso amorem, sive præstitam viduæ Matri in rebus domesticis obedientiam, sive virgineam erga singulos modestiam; eò certè videbantur collimare virtutes, ut optimum maritum mereri, similesq; olim sui animi filias futuro marito polliceri videretur. Neq; non respondit eventus, postqvam BRÜHLIUS noster Clementissimam indeptus confirmationem Typographiæ præficeretur. Is enim intelligens eam fore imposterum vitæ suæ conditionem, qvæ multis de causis fidelem requireret sociam, in hujus virtutibus defixit oculos, ut ritè peractis Sponsalibus, die XXV. Novembr. M DC LXXIII. ad solennes procederet nuptias. Et erat istius die i tanta in Augsteo nostro celebritas, qvantam hucusq; non licuit repetere. Nimirum intimaverat auspicatoriam suam Orationem conjunctissimus Collega noster Dn.

JOHANNES RIEMERUS, ubi Serenissimus AUGUSTI
FUNDATORIS Filius Dn. CHRISTIANUS splendidissimâ
Nobilium coronâ cinctus Auditorium ingrederetur, ac Gra-
tiosissimâ suâ præsentia, quantum splendori huic literario cu-
peret, ex voto demonstraret. Qvem profecto diem inter
candidissimos ideo referre justum fuit, qvod AUGUSTA
PROGENIES AUGUSTI PARENTIS in dolem, in augen-
dis studiorum progressibus exemplo satis magno declarasset.
Ac vel ideo istius lucis AUGUSTA solennitas fausta etiam il-
lis videbatur omnia constituere, qvi, post Actum in Gymnasio
matutinum, pomeridianas indixerant nuptias. Optabant o-
mnes, vellet DEus hanc indulgere gratiam, ut hujus typogra-
phi manu expressum saepius legeretur AUGUSTUM NO-
MEN, possetq; nova artificis socia, exscribendo nomini, suas
simul adhibere melanteres. (ita enim vocant spheras suas co-
riaceas illinendo formis atramento destinatas, qvas profecto
impigrè tractare didicerat, qvoties festinatio reliquorum in-
dustriam ad alios labores vocasset) Et invenerat qvidem Ma-
ritus non infelix, qvod in Conjugio dicitur felicissimum. Ut e-
nim prætereamus mutuum adjutorium, cuius observans erat,
vel ad officinam; fœcundo etiam partu suum implere officium
est conata. Ante Patris pedis adhuc ludit, ignara qvid plore-
tur, JOHANNA MAGDALENA in lucem edita d. XVI.
Septembr. M. DC. LXXIV. cuius aspectu sicut antea lætaba-
tur, sic cruciatur Parens geminam educandi curam sibi inje-
ctam sentiens. Alteram fertilitatem testata est Anni hujus
d. X. Junii, marito offerens EUPHROSYNAM ROSINAM, si-
bi vero pariens non Rosarum sed spinarum vel absinthii fili-
am, doloris puellam, mortis nunciam. Etenim ille DEus,
qui prædictum cum dolore enixuras fœminas, non periculosam
modo parienti immisit difficultatem, sed fœmininâ hâc victo-
riâ defunctam novis immergi doloribus, imperscrutabili suâ
voluntate, passus est, ut lethiferas puerarum comites subin-
de experiretur, nec in auxiliis Medicorum quamlibet diligen-
tissimis

tissimis qvicqvam levamenti repositum esse deprehenderet. Sic in vitæ mortisqve confinio hærens, Deoq; rem suam committens, sextam Purificationis suæ, ut vocant, septimanam attigit; ast filiolam sine Matre misit ad templum, qvasi manifesto omine, hanc viam sub materna manuductione nunquam iri frequentatum. Et sanè Orphana, matris mortalem vultum non agnitura, id amisit, qvod penè dixerim non habuit, & cuius jacturam eò intelligit minus, qvò majorem. Matris necessitatem suis lacrymis & ejulatibus ostendit. Etenim die XXIII. hujus mensis, qvem aliqui facrum faciunt. Beatrici, mane anteqvam audiretur sexta, relictis terræ doloribus in beatas cœli cohortes recepta, uno momento didicit, qvam facile adversus superna gaudia contemni queant sublunarium molestiarum exercitus. Atqve adeò non est, cur beatam hanc mutationem luætibus nostris velimus proseqvi: qvin potius ea qvasi porrectis è beatorum sede manibus hortatur, gratulandum sibi esse, qvod in LIBRO VITÆ talia nunc legere contigerit, qvæ à nullis prescribi typographis, à nullis dictari Doctoribus, à nullis legi & perlustrari queant mortalibus.

Eqvidem habet mœstissimus Viduus, cur factam svavissimi tori lacunam anxiò subinde desiderio proseqvatur: si vel maximè filiolarum gementium strepitus ad lacrymandi necessitatem oculos non adigerent. Interim ne discedamus sine solatio, manu qvasi ductum, ordinata styporum capsulas jubebimus inspicere. Ut enim latinæ formulæ literas exhibent partim erectas seu antiquas, partim inclinatas, qvas suo stylo dicunt cursivas, qvarum sanè conjunctio jucundum lectoris intuitum solent provocare: ita Conjugium qvasi scripture est, diversis ejusmodi typis combinata. Maritus ob sexus præstantiam literas refert erectas, fœmina cursivas. Et ô qvam celeri cursu suam pervagata est scripturam! qvam fugitiva & currens hæc fuit amœnitas! inclinata est ad terram, imo ad occultas terræ tenebras, qvæ versari continuo debebat in-

erectis & lætis mariti oculis. Quid autem nunc agat maritus? Typis erectis simillimus virum se ostendat, ac quem admodum hæc præscriptio, sine literarum cursivarum mixtura deducitur, ita mentem servet ab inclinata tristitia semper alienum. Erigat se in cœlum, ubi erectam sentit, quam in terra vidi inclinatam. Elevetur ad DEum, qui in mortem dicit, ut vitæ demum percipiamus delicias. Exurgat è lacrymis nihil proficientibus, & è suis discat capsulis, quid in mœrore deceat Christianum. Sanè quicquid adest scripturarum tacite insuffrare incipit, nunquam ab homine dolendum, quin meminerit se esse Christi membrum, h. e. DEI felicissimi non servum, sed amicum felicissimum. Prima Scriptura Missalis vocatur, ideo ipsi commendata, quod sub ejus scalpello enata fuit. Nomen verò a Pontificiorum Missalibus accepit, quod istius quantitatis literæ cantoribus canonici ibidem objiciantur. Quid autem loquitur hæc Missalis? **ITE MISSA EST.** Dimissa est in Pacem, immo præmissa, ut eo mittendi intelligamus, quam superius simus inventuri sociam. Seqvitur aliud typorum genus, quod Canonem Majorem ac Minorem appellant: nam quicunque demum is est canon, unde hunc indepi sunt titulum, lugentem certè admonent, non esse seqvendum minorem quasi Gentilium Canonem, qui perpetuis ululatibus ac ploratibus condemnare nitebatur viduos: sed divinam verbi verè canonici regulam; quæ svadeat collocatam in DEo servare fiduciam, sacramq; lucernam pedibus nostris lucentem instar canonis viatorii perpetuo contueri. Habent Ecclesiæ suos canones, quibus refocillari solent Canonici. Sed habeat hic canonicam Scripturæ opulentiam, quæ restituet animum sub necessario mortis canone languentem. Est porro typus, quem Romanum dicunt. Qui non ad nugaces Romanensium nærias, sed ad illum inclinare videtur scriptorem, qui ad Romanos scripsit epistolam, & qui JUSTIFICATIS PER FIDEM IN CHRISTO JESU PACEM annunciat. O feliciorem Romanis Rerum

rum Dominis, qvi hanc ritè intelligere queat scripturam! O æternâ Româ dignum, qvi cordis membranam his literarum formulis undiqvaqve habeat insignitam. Qvod si adspiciat capsulas, qvarum characteres Textum vocitamus, non Tex-
tum modo funebrem animo objiciat, verùm etiam quantum exinde redundet solatii, solidè secum perpendat. Sanè acer-
bum textus putamen, si reminiscatur, quantum amiserit; ast jucundus nucleus, si cogitet, id voluisse DEum, id factum ob e-
vitanda mortalitatis mala, ac excitandum cœli desiderium.
Textum excipit Tertia. Quid hæc solatii tribuet? Tertiò
factam matrem innuit, qvæ bis in mundo puerpera, auxilio
Salvatoris, qvasi seipsam in cœlo progenerat puriorem. Ter-
tium in terris numerum implevit, sive filiolis annumeret or-
bam matrem, sive viduum maritum: Sed erit divina TRIAS,
triplici huic tristitiæ, tergeminio auxilio, præsens, nec patietur
attingi scripturam hanc Tertiam, qvin triplici solatio ipsam
laborantis dextram reddat latiorem. Post Tertiam colloca-
tur qvam vocant Mediam, & qvæ exscribendo huic Pro-
grammati inservit. Ea clamat, Medium tenuisse beatos,
incedendum esse viâ mediâ, ne parûm lugentes videamur di-
vinam visitationē contemnere, nimium dolentes, de bonitate
paterni visitatoris desperare: nunqam ad excessum delabi
severitatem, qvin ex altera parte major affulgeat amœnitas:
qvin etiam in media morte medium inveniri vitam, & esse o-
ptimum remedium calamitatis, non nisi in media DEi gratia
qværere medium. Mediam seqvitur Cicero: qvod enim Ci-
ceronis Opera hunc characterem primo probaverunt, appella-
tio invaluit. Post figuræ Ciceronianas minutæ spectantur,
qvas nostro stylo Corpus, exterñorum voce Garmond nomi-
namus. Iстis exscriptum credat Viduus, qvicqvid sentit mœ-
roris. Nam exigua sunt, qvæ patimur. Qvod si exigua vide-
antur, qvæ solatii loco servavit DEus, ideo credat fieri, qvod
ab oculis sunt remotiora. Certè enim Missalibus literis exscri-
pta sunt, qvæ divinam gratiam in mediis mœroribus polli-
centur.

O san-

O! sanctam igitur Typographiam, quæ singulas capsulas ad novum solatii genus videtur determinare! Faxit saltem DEUS, ut Christiana hæc ænigmata talem inveniant spectatorem & scrutatorem, qualem sancta hæc mysteria requirunt. Nam, ut in hoc argumento simus prolixiores, vel ideo non est opus, quod de pio nostri Brühli animo nemo dubitat. Proinde id agimus, cuius gratia integrum impletum hoc est folium, omnesq; nostros cives etiam monemus atq; etiam, velint eruditio huic Amanuensi suam commodare præsentiam, qui tot disputationibus atq; Aetibus Oratoriis suam comodavit Scripturam:ne, dum Augusstei Civis deducit exeqvias, ab Augusstei Ci-vibus videatur desertus. P. P. d. 24. Jul. M. DC. LXXVII.

